



A. F.  
R.

32 39

# TOPICE SCRIPTVRAE

EX

AVCTORITATE VENERANDI THEOLOGORVM

ORDINIS

## PRO LICENTIA

CONSEQVENDI

### SVMMOS IN THEOLOGIA HONORES

PROPOSITA ET DEFENSA

A

M. GVILIELMO ABRAHAMO TELLERO

S. THEOL. BACCALAVREO

PROFESSORE THEOLOGIAE ORDINARIO IN ACADEMIA

IULIA CAROLINA ET DIOCESEOS HELMSTADIENSIS

SVPERINTENDENTE GENERALI DESIGNATO

---

LIPSIAE D. XXI. DEC. MDCCCLXI

---

EX OFFICINA BREITKOPFIA

TOPICE SCRIPTRIUM

AD CATHARINAM

ANNAE ET CLOTHOAE

REVERENDISSIMO  
ILLVSTRISSIMO  
EXCELLENTISSIMO DOMINO  
DOMINO  
AVGVSTO ADOLPHO  
LIBERO BARONI  
DE C R A M M

DYNASTAE IN VOLKERSHEIM OELPER IERZE  
BOCKENEM RELL  
SERENISSIMI DVCIS BRVNNSVICENSIS ET  
LVNEBVRGENSIS ADMINISTRO STATVS ET  
CONSILIARIO INTIMO REGIMINIS IN PRIN-  
CIPATV BLANKENBVRGENSI PRAESIDI S. R. I.  
LIBERI ET IMMEDIATI CAPITVLI SS. SIMONIS  
ET IVDAE QVOD EST GOSLARIAE DECANO ILLV-  
STRIS PARTHENONIS STEDERBVRGENSIS PRAE-  
POSITO ORDINIS ALEXANDRI NEWSKY  
EQVITI RELL. RELL



ILLVSTRISSIMO  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMO DOMINO  
DOMINO  
IVSTO HENRICO  
DE BOETTICHER

DYNASTAE IN HELMSTAEDT ET LINDEN RELL  
SERENISSIMI DVCIS BRVNSVICENSIS AC LVNE-  
BVRG. ADMINISTRO STATVS ET CONSILIARIO  
INTIMO CVRIA PROVINCIALIS IVSTITIAE SVPRE-  
MO IVDICI RERVM BELLICARVM DIRECTORI  
PRINCIPATVS WOLFENBUTTELENSIS CONSI-  
LIARIO PROVINCIALI RELL. RELL

СИМФОНИЯ  
ДО МАСТЕРСКОГО  
СОСТАВЛЕНИЯ  
СОЛНЦА  
СОЛНЦЕНОВА  
СОЛНЧЕНОВА

СИМФОНИЯ  
ДО МАСТЕРСКОГО  
СОСТАВЛЕНИЯ  
СОЛНЦА  
СОЛНЦЕНОВА  
СОЛНЧЕНОВА

REVERENDISSIMO  
ILLVSTRISSIMO  
EXCELLENTISSIMO DOMINO  
DOMINO  
HENRICO BERNARDO  
DE SCHLIEDSTEDT

DYNASTAE IN SCHLIEDSTEDT KVBLINGEN ET HAVS  
NEINDORF  
SERENISS. DVCIS BRVNSVICENSIS AC LVNE-  
BVRG. ADMINISTRO STATVS ET CONSILIARIO  
INTIMO CAPITVLI S. CYRIACI BRVNSVICI DECANO  
ORDINIS REGII DANICI DANE BROGICI  
EQVITI RELL. RELL

**HENRICO BERNARDO  
DE SCHIESTERDT  
DOMINGO  
EXCELENTÍSSIMO DOMIN  
ILLUSTRISSIMO**



*ILLVSTRISSIMI  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMI DOMINI  
PATRONI INDVLGENTISSIMI*

*V*OBIS vero in primis, DOMINI, huius  
Curriculi ratio reddenda erat, quorum  
apud Optimum Principem gratia et auctoritate  
effectum est, ut mibi eius instituendi occasio da-  
retur valde honorifica. Atque hoc etsi mibi sa-  
tis esse poterat, ad intelligendum hoc pietatis  
officium,

*officium, fuit tamen praeterea, quod officii huius  
sanctissimi religionem mirifice augeret. Nam ita  
summi iudicij VESTRI reverentia, meam in  
scribendo et cogitando diligentiam acuit, ut, si quae  
recte praecepi, non tam mibi, quam VOBIS, de-  
beantur; et ita imago VESTRAE indulgen-  
tiae, in munere mibi clementissime collato expre-  
sa, animo meo obversata est, ut eo citius totum  
hoc Curriculum absolverem, quo maiori ferebar  
cupiditate, VOS, DOMINI, coram intuendi,  
et Deo, eiusque curae precibus ardentissimis com-  
mendandi. Exoptatissimam vero diem, quae me  
huius tantae felicitatis participem reddet!*

*VESTRIS  
NOMINIBVS ILLVSTRISSIMIS*

ADDICTVS CLIENS  
**GVIL. ABR. TELLERV**



# TOPICES SCRIPTVRAE CVRRICVLVM PRIMVM

---

---

## PRAEFATIO



um in reliquis disciplinis omnibus certa via  
aque ordine tractandis, praecipuus ratio-  
nis usus esse soleat, atque in his, quae ab  
auctoritate proficiscitur disputatio, non  
spernatur quidem, si adsit, neque tamen  
adeo quaeratur, si desit: Theologiam contra unam esse vi-  
deimus, in qua non tam rationis, quam auctoritatis momen-  
ta desiderantur; quaeque testimoniorum fide, veluti aedificium  
fundamento praeclare iacto, innixa, conclusiones sub-  
tiliter excogitatas adsumit, tamquam, quibus facile etiam ca-  
rere posset, ornamenta. Atqui haec testimonia, qui cogitet,  
solis scripturarum sacrarum libris comprehendendi, (quod hu-  
ius loci non est edisserere et est ab aliis iam pridem demon-  
stratum) is profecto amplius monendum non erit, ut videat,

A 2

plurimum

plurimum in omni Theologia vtilitatis afferre, locos "nossē  
divinorum librorum, singulis dogmatis christianaē religionis  
probantis, proprios, atque neminem perfecti Theologi lau-  
dein assequi posse, nisi et horum omnium sc̄ientiam sit con-  
secutus, et ex iis promptum expeditumque pararit ad argu-  
mentandum vsum. Atque haud scio, an non etiam his duo-  
bus, sine quibus Theologus nemo esse potest, omnia reliqua  
contineantur, quae ad tale nomen tuendum requiri possint.  
Etenim quis dubitet, praeter verae pietatis sensum, magnam  
in inveniendo celeritatem, egregium in iudicando acumen,  
in disputando artificiosam subtilitatem, in interpretando di-  
lignantiam atque vsum, assiduam denique scripturarum lectio-  
nem, haec omnia, inquietum, in eo desiderari, qui non solum  
locos doctrinae cuius probanda, vnicē aptos, sibi et aliis  
cognitos reddere, verum etiam iisdem recte atque in loco  
vti velit? Et quomodo is, qui vtrūque hoc possit, munus  
Doctoris eccl̄esiae non omni ex parte expleat? Nam siue do-  
ctrina christiana aestimatoribus eius explicanda confirman-  
daque sit, siue eadem contra vituperatores defendenda, hic  
talis semper habebit, unde et in docendo fidem et in refel-  
lendo virtutem aliis probet. Ut adeo mirum non sit, Apol-  
linem s. Apollodorum affirmante Luca (Act. XVIII. 25.) do-  
ctrinam de Christo tam accurato sermone docuisse, cum  
is dicatur, admodum peritus fuisse scripturae (*διυτατὸς ἐν*  
*γραφῇς* com. 24) neque idem mirandus sit penitus argu-  
mentando vicisse Iudeos, com. 28) cum omnem suam de-  
monstrationem de divina Domini nostri Iesu Christi missione  
ex locis Veteris Testamenti primariis duceret, *ἐπιδεινός διεῖ*  
*τὰν γραφῶν*, *ἔνοι τὸν Χριστὸν*, *Ιησοῦν*, vt est in loco Lucae lau-  
dato. Atque vtinam multi tales superiori aetate extitissent,  
et hoc nostro etiam tempore reperirentur! Etsi enim negari  
non potest, semper fuisse, qui *studium scripturarum*, et in quo  
praecipue

praecipue illud cernitur, locorum *probantium* delectum accuratum, aliis commendarent; tamen illi ipsi non raro dete-riora sequebantur et nemo minori cum delectu scriptura-rum testimoniis vtebatur. Novimus omnes, debebamus certe, ORIGENIS de *recta in Deum fide* dialogum, in quo antequam disputationis exordium fieret, hanc legem ponit, *vt Λπόδειξ τὸν ὁμολόγων εἰς τὰν γραφῶν* esset. Quam non hoc sapienter ab eo suasum fuisse putemus! Et tamen idem ille Vir doctus, tanquam suae suasionis oblitus, in illa dispu-tatione identidem locos scripturae vtriusque laudat, qui rei, de qua quaerebatur, probandae, nullo plane arguento es-sent. Vt, quando verba Psalmi LXVIII. 1. (Sect. II. p. m. 820) ad probandam resurrectionem I. C. excitat, in quo claram est, eum fefeller graecam verbi ΠΡΩ per αὐτήτω interpretationem. Aut, quando idem Sect. II. p. m. 826. ex Parabolâ Servatoris, Luc. XVI. 19. imprinisisque ex clausula eius, aduersus contentorem Prophetarum V. T. probat, non posse Euangeliō fidem tribuere, eum, qui eandem Prophetis et legi negaverit, singens praeterea, resurrectionis Christi in hoc loco mentionem fieri. IUSTINVS porro in *dialogo cum Iudeo Tryphone*, qui ipsi etiam non satis doctus adversarius contigerat, vtitur quidem, vt hominem vinceret, diligenter scripturarum, Veteris in primis scripturae, testimoniis πλευτῶν ταῖς γραφικαῖς μαρτυρίαις, qualem laudem, si tamen est, PHOTIUS in *Bibliotheca* Theodoro Antiocheno tribuit; sed ita vtitur, vt filius familias, qui dum divitias amplissimas recte collocare atque disponere nescit, facile omnes perdit. Nam sic deprehendimus profecto in toto illo sermone congeriem quidem testimoniorum, sed non ordinem eorum talem, qui rationem disciplinae servet.

Enimvero hoc non adeo mirari debes in iis, qui, quemadmodum illi duo, ad sermonem extemporaneum provocabantur

bantur, atque omnino in plurimis veteris ecclesiae doctoribus de ingenio scripturam interpretantibus, cum ex vsu linguae vtriusque, quem scilicet ignorabant, non possent. Sed quis non, si idem animaduertat factum esse ab his, qui Απόδειξις articulorum fidei, collegiorum Biblicorum, magnificos titulos libris suis praeposuerunt, iure miretur? Etenim a talibus maxime expectandum fuisset, vt singula doctrinae Christianae capita, non nisi ex propriis suis in scriptura locis derivarent, vel certe concludendo ex iis efficerent, qui tanquam axiomatum loco essent. Hoc enim nisi teneatur, Απόδειξις biblica nulla est, et quidvis aliud potius lectoribus traditur, quam Collegium biblicum, quale illi intelligi volunt. Itaque mihi quidem se nunquam probauit S E B. S C H M I D I I, Argentoratenis olim Theologi diligentia, qui in *Collegium suum Biblicum*, qnemadmodum ipse satetur in praefatione libri, locos scripturarē congregavit non illos, qui in primariis numerarentur, sed vnicē eos, qui probabili interpretatione possent huic vel illi dogmati probando adhiberi. Atque inde factum, vt saepius grammaticam interpretationem verborum laudaret, et tamen desereret tum, cum videret Απόδειξις eius dogmatis, quod probandum sumisset, illa posita, totam peritura esse. Rem vix credibilem, efficiemus tamen uno exemplo, vt vere ita accidisse credant Lectores, sibique ab eiusmodi conatu caveant. Multis multorum disputationibus locus ille Gen. IV. 1. frequentatus est, in quo Eua, cum peripisset Cainum, dixisse narratur קניתי אִישׁ אֵת יְהוָה. Ex hoc loco Vir doctus cum aliis fidem in futurum Messiam, tanquam verum Deum, non desuisse illis primis hominibus, probare vult, quod tamen, vt nobis videtur, in vniuersum non adeo necesse fuisset vnuquām quererere. Vult tamen, vt dixi, cuimque, praeter alias, illorum quoque commemorasset interpretationem, quaibus placuisset נָתַן pro טָהָר scriputum

ptum putare, hoc suum iudicium addit; *ista explicatio et si bonum habere potest sensum, non tamen tantum nobis prodest in gravissimo puncto de Messia.* At vbi eiusmodi commodum habere possumus, *vitque non debemus omitttere.* Atque eiusmodi exemplis pessime usurpatorum locorum scripturae pleni sunt aliorum libri, esset que ab hoc loco alienum ea amplius commemorare velle. Copiam eorum desideranti, plura suppeditabit S.V. S T E M L E R V S in duabus dissertationibus, *de interpretationibus scripturae S. satis piis sed parum accuratis,* et dabimus nos quoque in curriculo huius dissertationis secundo.

Nunc illud potius agemus, ex quo pateat, praeterquam, quod diximus praecipuum in diligendis locis scripturae Theologi munus contineri, alias etiam esse rationes, quare hic delectus, in tractandis religionis dogmatis, omnibus commendatus esse debeat. Ante omnia vero in his numerauerim necessitatem aduersus homines religionem defendendi profanos, qui, argumentis ex locis alienis ductis, mox abutuntur eo, vt ipsam religionem in suspicionem adducant, atque huic tribuant, quod erat vitium defendantium eam. Etenim haec fabula quoties non acta est! Quin adeo extitisse videmus, qui, cum ipse veram doctrinam sequentes, suos contra haereticos disputantes audirent, illorum argumentis, quibus ex scriptura non satis firmis vterentur, ita perturbati fuerunt, vt ad horum partes transirent. Atque est profecto etiam in hoc genere nihil magis alienum, quam cum homine peregrino ita agere velle, quemadmodum cum familiari agere soleas. Nam vti ille te vel tanquam subrusticum irrisurus esset, vel de re domestica tua mali quid ominaturus, nisi cum magnificantioribus epulis atque exquisitiis extractis exciperes, quae hic non adeo desiderat, tenui etiam victu contentus; ita non minus existimandum est, aduersarium exquisitora argumenta et magis accuratam disputationem, qualis est ea,

quam

quam diximus, requisitum esse, quam tuae ipsius professionis hominem. Et quam non acute hoc vidit Magnus noster LUTHERVS, qui in Comment. ad Gen. XVIII. 2. hanc Patribus primae ecclesiae, de illa apparitione multa pie meditantibus, defensionem parit: S. Patres scripserunt ista bono et pio animo et bene viderunt, quod cum aduersariis non sic agendum est, ut cum auditoribus principia fidei non negantibus: cum enim tuos doces, ibi non bellum moves, sed exercitium ad bellum instruis. In exercitio autem vides non ferratis basis, non acutis gladiis, sed etiam rudi ligno, aut ad gladii formam facta nos vti. Sed in acie ferro opus est eoque ad feriendum firmo et bene acuto. Sed satis de hoc. Veniamus ad aliam huic valde propinquam studii huius necessitatem, eam nimirum, quae in institutione eorum posita est, per quos aliquando religio doceri debet, et aduersariorum rationes refelli. Nam hi quoque, nisi in scholis Theologorum ita praeparati sint, ut non solum yniuersum ambitum doctrinae christianaee in animo, quasi in tabula scriptum habeant, verum etiam locorum Theologicorum ex scriptura promendorum, perfectam et ad usum facile transferendam scientiam teneant, quomodo possint cum laude in re sacra administranda versari, aliorumque saluti ita provide-re, vt fundamento firmo nitatur, quod neque fortunae vicissitudine, neque vi villa, siue calamitatum, siue hominum malorum moueatur? Est enim illud supra, quam dici potest, absurdum, si quis cogitet, sibi in angusto terræ angulo, in quo aliquando verbi divini ministerio functurus sit, adeo ampla atque exacta Theologica scientia non opus fore, aduersariorum ibi nullum futurum, nullam de controuersiis religionis disputationem. Vnde fit, vt, qui Theologorum scholas adeant, hoc tantum assequi current, vt declamationibus popularibus habendis non plane inepti habeantur, atque sic se Theo-

Theologos futuros putent. Atqui vero cogitandum his erat, vel maxime timendos adversarios religionis, saepius ex ipsis verae ecclesiae alumnis prodire, tum, cum aut mortis periculum subeundum est, aut animus variis calamitatibus oppressus fluctuat, aut malefactorum conscientia terret, atque in omnes partes rapit. Ut tunc videas, multos nodos nectere, quos, cum nullā disputandi subtilitas contra aliquid valeat, sola scripturae auctoritas solvat, quibusque adeo dissipandis, qui hac non recte atque prudenter vti didicerit, plane impar futurus fit. Tandem, neque illud praetermitendum est, hanc in recte diligendis locis scripturae prudentiam a Theologo requirere ipsam reuerentiam sacris litteris debitam, quam quidem semper in ore habent illi ipfi, quod mireris, qui adeo imprudenter, vt nemo magis, in hoc studio versantur. Sed enim, quam hoc reuerenter ab iis fieri putemus, si toties sensum alienum diuinis decretis affingunt, et dum intelligere volunt, quae non intelligunt, sola nobis relinquunt pro verbis diuinis, verba hominum, hoc est, sua.

Atque poteramus haec forte amplius disputare. Sed satisfecimus, opinor, vel his, praefandi consuetudini, effici musque, vt, quam nunc instituemus, disputationis necessitas ab omnibus intelligatur. Est itaque nobis propositum disciplinam diligendorum locorum scripturae tradere, ex quibus argumenta pro doctrina christiana sumi possunt ac debent. Eam comprehendimus vno nomine *Topicorum*, in quo imitati sumus *Aristotelem*, atque etiam *Ciceronem*, utroque tamen in eo superiores, quod *scripturae nostra sunt*. Nam in ipso tractandi modo vereor, vt iis longe inferiores simus, praesertim cum argumentum ipsum vti per se graue, ita etiam ante nos a paucis illustratum et a nemine, quod ego quidem sciam, pertractatum reperiatur. Atque in illis paucis primo omnino loco nominandus est S. V. c r v s i v s,

B

in

in praefatione ad *Iob. Dav.* b v r k i i librum, Euangelischer Fingerzeig inscriptum, in quo maxime id sibi sumiserat probandum, multum interesse inter delectum locorum probantium, et interpretationem atque accommodationem scripturae talem, qua in sacris publicis vti mos est. Ut adeo*lin-*  
*stituti* ratio longiorem de illis locis, propriis scholae, non ferret disputationem, quam tamen ita Virum doctissimum at-  
tigisse videmus, vt optandum esset, eam totam ab eo per-  
tractatam haberi. Ampliorem de iisdem disputationem sibi  
proposuisse videri posset *B. B A V M G A R T E N I V S*, in dissert.  
*de dictis scripturae sacrae probantibus*. Sed eam perlegenti fa-  
cile patebit, multa ibi a viro docto nimis tenuiter dicta esse,  
non pauca etiam minus accurate preecepta, quorum exempla  
quaedam deinceps afferemus. Sed haec facile etiam ignoscen-  
da Viro, qui ipse in praefatione ad repetitam dissertationis editionem fassus sit, fuisse, *quae nouam plane et longiorem tra-*  
*ditionem requirerent*. En itaque hanc vtramque nos dabi-  
mus! Quoniam vero omnis de locis nobis erit disputatio, tan-  
quam iter facturi longum atque difficile, quod verendum sit,  
ne nimis molestum reddatur nobis et comitibus nostris Le-  
ctoribus, quos multos nobis optamus, illud in certas quasi  
stationes diuidemus, vnde, si paulisper respirauerimus, nouo  
semper cursu illud perseguamur atque sic totum feliciter decur-  
ramus. Excurremus vero ex eo loco, qui nos ad intelligendam  
omnem indolem illorum scripturae locorum ducat, ex quibus  
argumenta doctrinae christiana peti solent ac debent. Per-  
genuis inde ad alium, qui varios iisdem abutendi modos ho-  
rumque causas ostendet. Tandem in illo subsystemus, quo ma-  
xime tendimus, et ad quem si recta via peruennerimus, nihil  
amplius desit, ex quo horum locorum diligendorum atque  
etiam vtendorum iudicium accuratum fieri possit.

CVRRI.

---

## CVRRICVLVM PRIMVM

---

§. I

*Difficultas operis instituti*

**S**ed hic statim in primo itineris cursu viae **impedimenta** plurima nobis obiiciunt illi, qui, dum compendium eius querunt, per dumeta nos ducunt **s**edis implicata, faciuntque praeterea, ut circumiacentium locorum varietates, situs, amoenitates denique omnes, quae in spatioſo campo ambulanti e longinquō patent, ut plurimum lateant. Et enim hi multa quidem praecipiunt de locis *probantibus* scripturarum sacrarum. Sed ita primum coacte, ut difficile sit horum ab *illustrantibus* discrimen intelligere, et sic porro ambigue, ut neque variae eorum ipsorum formae satis inuicem possint discerni. Itaque illa omnia, quae copiosius ab iis differuntur, de locis *κατὰ τὸ ἔητὲν* et *κατὰ τὴν διένοιαν*, *mediate* aut *immediate* probantibus, de classicis quibusdam siue *primi ordinis*, aliis *secundi ordinis*; iterum de talibus, qui *analogice* probent rem aliquam, aut etiam in quibus id ponatur, ex quo aliud quid effici possit; haec omnia, inquam, per se quidem ad intelligentiam huius rei valde pertinent, sed, si quis non accurate doceat, quaenam in iis singulis vis posita sit, aut non id tradat, vnde deinde leui opera iudicari possit, quomodo iis vtendum sit, res facilis atque non admodum obscura, faciat, ut obscurissima atque difficillima fiat. Experiamur itaque, an haec, quae diximus, impedimenta nostra disputatione, si non plane tollere, tamen quadam ex parte minuere possimus.

B 2

§. II

## §. II

*Definitio locorum probantium*

**D**icimus vero locum scripturae, in quo dogma aliquod aut ambiguum ita definitur, aut non satis aliunde cognitum ita affirmatur, ut ex omnibus orationis adiunctis clare patet, Spiritum sanctum nullum aliud dogma in eo aut definire aut affirmare voluisse, neque etiam pro sapientia sua potuisse, probantem eius rei. Haec omnia vero maxime requiri ad id, ut aliquis locus possit ita appellari, et ex iis, quae mox dicemus manifestus fiet, et per se adeo patet. Iam illud in primis animaduerti velim, in viuersa horum locorum ratione, definitione complectenda, praeципuum hoc esse, ut eorum ab aliis discrimen in consilio Spiritus sancti ponatur, et nulla plane arbitrii humani in interpretando, quae velis, ratio habeatur. Ut adeo nunquam satis mirari possumus b. BAVM GARTENIVM, qui in ante laudata dissertazione, non solum hoc discrimen definiendo plane non attigit, verum etiam omnino sustulit. Eum enim si audias, locus probans erit *sententia scripturae*, ex qua *propositio ad derivinam de ordine salutis pertinens*, deriuari potest. Enim vero non monendis eris, ut intelligas, quam indefinite *deriuandi* verbum hic ab eo usurpatum sit, quam obscure idem, quam denique hic tantus Vir suo *potes*t abutatur, et aliis eodem abutendi occasionem suppeditet! Cui enim non facile fit, ex loco plane alieno propositionem taalem efficere? Ferreim, si dixisset, in qua continetur *propositio*. Quanquam neque hoc satis. Atqui etiam quis nunc viro doctissimo locus *illustrans* erit? Nempe hic idem, quem probantem dicit. Cadit enim, in utrumque horum, quod de posteriori tantum dixerat. Sed transeamus ad illum:

## §. III

## §. III

*Definitio Locorum illustrantium*

**V**t itaque pateat, quam magnum sit discrimen inter locos probantes scripturae atque illustrantes, alterum hunc eiusmodi locum appellemus, in quo, vel ab ipso Spiritu sancto ad hoc vel illud dogma aliunde iam satis cognitum adcommodatio facta sit; vel quem humanum ingenium ad aliud dogma, aequa iam cognitum, exornandum traxerit. Atque hic non timebimus eos, qui nos in eo reprehenderint, quasi plus a nobis positum sit in definitione, quam contineatur definito, quique existimaturi sint, ut idem B A V M G A R T E N I V S (p. 18. not. \*) semel facta ab ipso Sp. S. adcommmodatione, locum eiusmodi non amplius in illustrantibus numerandum esse. Etenim non desunt, quibus nostram opinionem tueri possimus, argumenta, et si quis propterea nobis controuerfiā mouere velit, eam totam verborum fore deinceps patebit. Neque nos (est enim hoc probe notandum) quamvis adcommmodationem ad caput aliquod fidei ex ipsa auctoritate diuina factam, ad solam illustrationem adhiberi diximus, sed talēm solum, quae ad dogma aliunde iam cognitum atque probatum, pertinere reperiatur! Atqui sic dici non potest, quantum usum habeat haec obseruatio recte intellecta, in plurimis horum locorum difficultatibus tollendis.

## §. IV

*Partitio locorum probantium, ratione obiecti probandi*

**S**ed cum, qui in definiendis his locis parum acuti sint, eos ipsos etiam in iis partiendis minus subtiles esse constet, age, nunc porro etiam hoc agamus. Potest vero in eiusmodi locis, aut caput aliquod religionis christianaæ ita totum

definiendo atque explicando exhaustiri, ut Spiritus sanctus nihil reliquerit intactum, nihilque praetermisserit, quod ad omnem eius ambitum intelligendum desideretur; aut aliqua solum pars eius tractari, unde quidem de totius perfecta pulchritudine probabilis fiat opinio, sed ex qua tamen totum illud, quale sit, non certo possit affirmari. Atque hinc oriatur prima horum locorum diuisio, ex rei ipsius probandae natura ducta haec, ut sint vel *vniuersales*, *vniuerſae* cuiusdam doctrinae, vel *particulares*, partis eius solum. Possimus etiam illos priores *sedes doctrinae* appellare, quanquam hanc appellationem alio trahere soleant, ad eos nempe omnes, quos alio nomine *classicos* sive *primi ordinis* vocant. Et neque hoc male. Simus enim faciles in verbis, dum modus ipsa recte intelligatur. In particularibus vero illis exemplis opus non est, cum per omnem scripturam maximus sit eorum numerus. *Vniuersalium* ratio, accuratiorem disputationem desiderat, quam in tertio curriculo instituamus. Hic paucis monendum, locorum probantium copiam non adeo magnam esse, et paucissimos reperiri, ex quibus sic totum aliquod caput fidei a Spiritu sancto expositum legatur. In quo fas est agnoscere atque etiam mirari bonitatem atque sapientiam diuinam, quae ita primo nostrae imbecillitati consulere voluit, atque cauere, ne toti veritatum adeo sublimium mole obrueremur quasi; deinde efficere, ut semel admiratione elegantissimae partis vniuersi structurae capti, hoc maiori incitaremur cupiditate, ad totius aedificii artificium cognoscendum; tandem nos acuere, ut hoc magis diligenter in reliquos totius doctrinae locos inquireremus. Eam itaque vtramque non intelligunt, qui se mirifice doctos putent, si possint pro singulis doctrinis, in toto suo ambitu intellegatis, talem locum vniuersalem probantem afferre. Quod vti non adeo difficile est, ita etiam neque valde necesse, propter

pter ea, quae diximus, neque satis doctum. Nam quae sic efficitur ex uno loco, vniuersae cuiusdam doctrinae probatio, fieri saepius aliter non potest, quam ut contra consilium Spiritus sancti fiat. Ut adeo tunc mera relinquatur verborum ad plures partes accommodatio, sitque locus in his illustrans solum, non idem probans, quod tamen quaerebatur. Atque addamus nunc etiam unum eiusmodi loci vniuersalis probantis exemplum, ut et haec tota partitio fundamento non carere intelligatur. Sumemus illud ex Rom. III. 22 - - 26. in qua ἡγετει praecipuum fidei caput de iustificatione, totum ita explicatur, ut de partium omnium natura, ordine, dispositione atque nexu nulla accuratior requiri possit disputatio. Itaque hic primum videmus causam impulsivam internam ex parte Dei (loquamur enim cum Scholis) quae dicitur δικαιοσύνη τῷ Θεῷ et Χριστῷ αὐτῷ; deinde externam, meritoriam eam, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ; iterum causam impellentem in homine positam, fidem nimur in Christum, διὰ τῆς πίσεως ἐν τῷ αὐτῷ οὐματι: porro formam docemur διὰ τὴν πάροντα ἀμαρτημάτων; rursus subiectum hominem peccatorem πάντες ἡμαρτον --- sed tamen conversum τὸν ἐκ πίσεως Ἰησοῦ; tandem causam fratrem, qua tum salus hominum quaeritur προέθετο ὁ Θεὸς ἡλασίσιον, tum bonitatis divinae laus celebratur εἰς ἔνδεξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτῷ. En! quomodo amplissima doctrina tam angustis paucorum versuum finibus comprehendatur. Talis praeterea locus recte habetur caput prioris ad Corinthios XV. in quo vniuersum dogma de resurrectione explicatum confirmatumque atque utrumque quidem de consilio Spiritus sancti videoas. Sic tandem unus Psalmus XIX. sufficeret, ad omnia ea, quae copiosius in Scholis, de principio vtroque religionis naturalis et revelatae disputantur, probanda atque extra omnem dubitationem ponenda.

§. V

## §. V

*Transitus ad partitionem aliam locorum probantium ratione modi probandi*

**E**t si vero omnium locorum probantium ratio haec est, ut de consilio Sp. sancti hoc vel illud dogma, siue totum siue ex parte confirmant, tamen non in omnibus vis probandi tam clara atque aperta est, ut mox ynicuius pateat, neque semper talis, quae vna eademque ratione assensionem efficiat. Inde factum, ut de diuidendis his locis in certas classes, propter diuersum probandi modum, Viri docti cogitarent. In quo recte omnino fecisse censendi sunt. Sed deprehendimus tamen eos, neque satis subtiliter, neque satis accurate in hoc studio versatos esse. Non satis accurate, dum tres quasi ordines eorum faciunt, ut in prima sint loci, *κατὰ τὸ ἔπος*, in secundo loci *κατὰ τὴν διάνοιαν* probantes, et in tertio ii, qui *harmonice* rem confirmant, quos ultimos *κατὰ εὐαλεογίαν* probantes dicere possis. Faciemus certe nos breuitatis causa. Erant enim plura deinceps de iis dicenda. Porro non satis subtiliter. Nam in iis, quos *κατὰ τὴν διάνοιαν* probare volunt, definiendis, vix credas, quam mira nugentur. Itaque nos aliam partitionem sequemur, hanc, ut dicamus, esse quosdam *κατὰ τὸ ἔπος*, alias *κατὰ τὴν διάνοιαν*, adhuc alios *κατὰ τὴν ἔξιν* probantes. Atque de his singulis nunc sigillatim dicemus.

## §. VI.

*Loci κατὰ τὸ ὕπον probantes quinam?*

**I**n iis, quos primo loco posuimus, iudicandis, siue potius reperiundis, non adeo multo acumine opus est. Sunt enim hi tales, *in quibus doctrina quaedam verbis adeo claris proposuntur*, ut pateat Sp. sanctum aliam iisdem proponere neque voluisse

voluisse, neque potuisse. Vno verbo IVSTINI in dial. cum Tryphone: ὅντες ἔγνωσθηναι δέομενοι, ἀλλὰ μόνον ἀκοντίζονται, quos semel auditos, non necesse sit operose interpretari. Ex quo genere si in re aperta exemplo aliquo adeo opus sit, est com. 28. Cap. laudati ad Romanos. Coecus enim sit aut pertinaciter coecutiens, qui hic non videat, meritum operum omne in iustificatione, de sententia Spiritus sancti excludi, eamque solam fide consequendam affirmari. Et quomodocunque verba interpreteris semper aperta erit oratio, sensus apertus. Sed fatendum etiam est, horum primae Classis locorum multitudinem neque reperiri, neque eam anxie quaerendam esse. Satis providisse nostrae intelligentiae Deum existimemus, si de singulis fidei dogmatibus unus aut duo tales extiterint. Atqui hoc alibi recte contra eos monetur, qui vnicce tales in confirmanda religione requirunt.

## §. VII

*Loci natae tñv diávovl̄ probantes quinam?*

**A**ccedimus porro ad illos, quos *natae tñv diávovl̄* probant. **E**t diximus. In quo sequimur quidem multos alios verbo vtentes eodem, sed plane aliam ei notionem tribuimus. Quam enim illi fingunt, facit ea, vt in re seria verbo ludere videantur. Est vero hic quoque tenendum, huius generis locum, non minus de confilio Spiritus sancti probantem esse debere, quam illum antecedentem. (cf. §. II.) Neque etiam hic sufficit dicere, hic vel ille locus, hanc vel illam doctrinam probare *poteſt*, *videtur*, nihil *impedit* quo minus eo vtatur, et quis norit omnes eiusmodi formulas! Sed ex omni sermone clarum esse debet, voluisse in eo Spiritum sanctum huius vel illius rei argumentum certum extare. Fit ita horum locorum iudicium perdifficile, multisque ver-

C  
borum

borum et rerum praefidiis instructus sit necesse est, qui ad illud accedere velit. Sed cripitur etiam sic adversariis telum primarium, quo tanquam acutissimo (mihi tamen nunquam probabunt) toties petere solent veram doctrinam, toties dicentes verba quidem iis contraria esse aperta, sed minime sensum in iis latentem. Et tamen hi multo rectius horum locorum vim intelligent. Sunt itaque nobis loci, qui in quaestione sunt, ii, in quibus dogma aliquod iis verbis proponitur, quae quidem alio trahi possint, quae tamen omnium adiuncorum diligent comparatione facta, reperiantur alio trahi non debere, certe Spiritum Dei eos ad aliud trahi noluisse. Patet hinc in his locis plurimas numerandas esse praedictiones, in Vetere Testamento, de Iesu Christo, eius persona, officio, passione, atque omnino de eventibus Noui Testamenti temporum, factas. Nam possint sane multa, quae iis continentur, de Davidis, aliorumque insignium virorum rebus gestis, Israelitarumque temporibus intelligi, sed accuratius inquirenti in ea, manifestum tandem fiet, multo sublimiore eorum sensum esse. Vno exemplo vtramur, ex quo totum hoc, quod diximus, luculentius apparet. Omnim confessione firmissimum divinitatis D. N. I. C. argumentum, sententia Psalmi CX. atque etiam praecipue commatis *primi* continetur. Hic mentio fit Domini, cui Dominus, amplissimae longeque excellentissimae dignitatis, promissiones dederit. Atque hic poterat omnino Domini appellationem David sibi ipsi tribuere, cum esset Rex omnium potentissimus. Poterat de se affirmare, se ad dextram Dei sedere, tanquam is, qui, ex peculiari decreto Dei, eius nomine rei publicae praefideret. Poterat porro affirmare, se regia dignitate functurum esse, usque dum omnes suos inimicos diuino auxilio superasset. Poterat tandem in Psalmo a populo decantando, hunc loquentem introducere:

dixit

*dixit Dominus Domino meo: effetque in eo elegantissima Prosopopoeia.* Est itaque locus non *κατὰ τὸ ἐγνῶν* probans dogma de divinitate I. C. sed *κατὰ τὴν διάνοιαν* firmissimum eius praebet testimonium, vtvt cestet ipsius seruatoris auctoratis atque etiam apostoli testimonium. Nam totus Psalmus claimat, de Spiritu sancti sententia, haec ad unum futurum Messiam pertinere, et phrasis, *sedere ad dextram Dei* recte explicata, quemadmodum eam dedit ILL. MICHAELIS in Comment. ad h. l. plane idem evincit. Sic quoque verbum illud Paulinum Rom. XIV. 24. *κατὰ τὴν διάνοιαν* probat, in rebus arbitrariis certam persuasionem sequendam esse, ne pecces, et est nullus alius eius sensus, etsi videatur primario de fide in Christum agere.

## §. VIII

*Cautio circa utriusque generis Locos probantes tenenda*

Sed hic sedulo cavendum est, ne hac divisione sic abutatur, vt fecit ORIGENES, qui etiam auctor eius extitisse videtur, (quanquam non adeo videri velit) quod fortasse illi ipsi ignorant, qui eam, tam male intellectam semper in ore habent. Est vero ille *Origenis* locus, ex quo putem hanc totam partitionem ad nos manasse, aduersus *Celsum* L. VII. §. 20. in quo ita praecepit -- *φαμὲν --- ὅτι ὁ νόμος διττός εἰνι ὁ μὲν τις πρὸς ἐγνῶν, ὁ δὲ πρὸς διάνοιαν.* Videsne, quomodo hic ab haeretico homine Orthodoxi sibi imponi passi sint! Neque enim putandum est, eum de parte tantum legis ea, quae ceremonias absolvebatur, haec dixisse, aut de typica. Sic enim praeceptio fundamento non careret. Sed vel maxime legem moralem et omnino totam scripturam Vet. Test. ex usu verbi graeci apud LXX. interpres hebraico, intelligit. Vnde toties sensum *πνευματικὸν* scripturae *σωματικὸν* opponit,

C 2

et

et qui eum post sequebantur, in primis HILARIUS Pictauorum episcopus, ubique sensum litterae, a sensu in ea latente, distinguebant, illum *corporalem, carnem, hunc spiritum, animam*, appellantes. Ut cunque tandem ORIGENES etiam illam divisionem acceperit, certum est, nos, qui cum eo loquimur, diligenter hoc curare debere, ut ea recte intelligatur. Est enim profecto ei, qui ea, ut solent, vtatur, ad duplum Scripturae sensum fingendum facillimus lapsus. Et quomodo non hunc fingerent qui dicant, hic locus quidem *natura rō ēzēi* aliud probat, sed *natura tñ dicētōs* etiam hoc probare potest.

### §. IX.

*Loci natura tñ ēzēi probantes quinam?*

Dicit nunc ordo disputationis ad locorum probantium eam classem, quae est *natura tñ ēzēi*. Solent eandem antecedente comprehendere alii, non admodum subiles in partiendo, vel potius, illam faciunt totam, quae haec esse debet. Atque ne hoc quidem, ut mox videbimus. Sed est modus probandi in utrisque plane diversus. In iis enim res omnis ad interpretationem verborum redit: in his argumentatione opus est, non operosa quidem, ut etiam fingunt, sed tamen docta. In illis ex consilio Spiritus sancti verba non aliter intelligi debent, et si aliquatenus possent. In his talia ponuntur, ex quibus aliud quid intelligi possit et debeat. Atque ex his simul summis nascitur definitio horum locorum haec, ut sint loci, *in quibus ex principio quodam (axioma dicunt) aliud quid efficitur, quod illo continetur, quodque nisi verum esset, illud ipsum principium nullum foret.* Non autem hic veremur, ne quis dicat, pugnare hoc cum definitione locorum probantium communis supra a nobis posita (§. II.) In ea enim a nobis affirmari, quemcunque talem locum

locum esse debere de sententia Sp. sancti probantem eius rei, cuius causa affertur. Nam quis non videt, in longe amplissimo sapientissimi spiritus intellectu, uno eodemque cogitandi actu effecta cogitari, si cogitetur eorum legitimum principium, sique aliquid certum ponatur, simul id adfirmari, sine quo illud certum esse non potest? Sed male omnino merentur de talibus locis hi, qui eos per consequitionem aliquid probare volunt, tum, cum humano artificio splendidae argumentationis effecerunt, ut inde hoc vel illud sequi videatur. Nam quae humanum ingenium adstrictum regulis scholae connectere possit, tanquam ex uno principio sequentia, non ideo, in infinito intellectu diuino, ex eodem duci, mox credendum est. Itaque locum paulo ante ex epist. ad Rom. excitatum, nunquam mihi persuaderi patiar, ut credam, de sententia Sp. S. fidei verae Christianorum necessitatem, per consequitionem quandam probare. Semper pugnem, eum in hoc genere vnicce illustrantem esse. Nam de re arbitraria, qualis est ista persuasio de rebus licitis in hoc loco commendata, ad necessariam, qualis est haec fides, homini non licet argumentum firmum ducere, nisi divina auctoritate illud factum sit. Atqui vero rem omnem hic quoque exemplo quodam ex scripturis ducto illustremus, in quo hoc minus errandi periculum, quo maiori auctoritate ab ipso Seruatore explicatum habetur. Leguntur itaque Exod. III. 6. verba haec: *Ego sum Deus Abrahami, Isaaci, Iacobi.* Nunc vide, quomodo ex hoc loco, tanquam principio, argumentum pro resurrectione effecerit Seruator Matth. XXII. 32. Atque habebis, quid sit locus narratīvū ἐξηγούμενος probans dogma aliquod. Nam est in eo facilis argumentatio haec, quam fecit Seruator: εἰς ἐξινό οὐ Θεός, Θεός νενέπω, οὐλλαχεὶται. Adeoque nihil hoc dictum esset, nisi resurrectio eorum intelligatur.

C 3

§. X

## §. X

*An dentur loci nat' analoyias probantes?*

**D**iximus iam (§. V.) esse, qui nouum quandam ordinem locorum harmonice s. analogice, probantium consti-  
tuant, atque horum vim in eo positam esse credant, quod dogma aliquod, ex iis simul sumtis, si aliunde iam cognitum atque probatum sit, nouo possit arguento probari. Atque his nos quidem non valde repugnaremus, nisi res ipsa ad-  
versus eos pugnaret. Videamus quo modo? Primum ita-  
que videntur ipsi non adeo multum argumentis ex eiusmodi locis ductis confidere, atque pugnare secum, dum in demon-  
stratione addunt, *si aliunde iam probatum sit atque cognitum.*  
Age enim concludamus eos rationis vinculo, quod sic ne-  
xum sit: aut potest ex his locis argumentum pro doctrina aliqua firmum duci, aut non. Si prius, cur non yti velles eodem, antequam res iam aliunde probata sit? Sin posterius, cur probans vocas, cur eo me petis tanquam firmo? Non video, quomodo se hic expedire velint. Teneamus ita-  
que eos constrictos. Sed effugient tibi! En itaque arctius eos constringamus. Dicant enim nobis porro, apud quos eiusmodi locis in probandis fidei capitibus, vti velint. Aduersis contradicentes pertinacesque homines? Sed hoc, credo, non dicent. Itaque apud eos, qui iam ce lo per-  
suasi sint, de veritate eius, quod quaeritur. Atqui vero,  
quaenam haec repugnatio, in aliquo loco praesidium alicuius rei ponere, quo non semper contra quosuis vti possis, et  
quo eos quidem vincas, quos iam in tua potestate habes,  
alios autem non item, quos deberes vincere. Intelligimus itaque ex hac tota disputatione relinquи hoc, vt dicamus,  
locos tales vnicē in *illustrantibus* doctrinae christianaē po-  
nendos esse, iisque ea omnia conuenire, quae in definitio-  
ne

ne horum (§. III.) a nobis dicta sunt. Neque etiam credi potest, Sp. sanctum iisdem aliter nos vti voluisse. Nam in iis omnibus, quae hoc nomine vulgo habentur, semper, hoc si agatur, aut sensus primarius negligitur, aut verba ad aliud quid transferuntur, aut denique unum etiam verbum, ambiguum saepe, arripitur, quae omnia doctam demonstrationem non decent, licet tamen iis vti, ea iam facta, vt hoc magis exornetur amplificeturque. Veniamus itaque nunc facili transitu ad locorum illustrantium quoque magis accuratam explicationem.

## §. XI

*Partitio Locorum illustrantium de sententia  
Spiritus S.*

**E**t vero nobis alterum hoc genus locorum scripturae tractantibus, non propositum, vtramque eorum diuisiōnem supra (§. III.) definitione a nobis effectam, ita edifferere, vt vtramque denuo in suas partes accuratius diuidamus. Etenim in his, quos humanum ingenium, ad exornandam doctrinam, ex aliorum locorum auctoritate iam satis probatam, retulerit, disputationis eiusmodi subtilitas, neque adeo necessaria est, neque etiam unquam finem habitura esset. Quis enim omnes illos modos possit aut cogitatione assequi, aut oratione comprehendere, quibus, vt sunt varia hominum ingenia, ita etiam variae ab iis quaeruntur inueniunturque similitudines rerum, vnde deinde talis illustratio existat? Nobis certe hoc non sumimus, vt, quod ne Caesarri quidem datum sit, audeamus leges scribere luxuriei, quae ipsa nullis legibus adstricta sit. Itaque illud potius agamus, vt prioris modi locos illustrantes, quos nimirum ipsa diuina sapientia tales esse voluit, per partes eundo, plane nobis cognitos, atque perfectos reddamus. In quo stadio decurriendo,

rendo, verendum non est, ne vñquam taedio languidi flamus. Nam sunt hi loci ita pleni perfectissimae sapientiae thesauris, vt animus semper habeat, quod admiretur, et hi ipsi thesaui adeo perfecto ordine dispositi, vt, qui eos totos perscrutari velit, hunc tantum, ne erret, sequi debeat. Solet vero in his Auctor scripturarum sacrarum, ea lege vti, vt vel *personas* cum *personis*, vel *res* cum *rebus*, vel tandem *sententias* cum *sententiis* componat. Partiemur itaque hos locos sic, vt sint quidam *personales*, alii *reales*, hisque tandem accedant *verbales*, vocabulo hoc eo sensu sumto, quo sententias verbis indicatas comprehendit.

## §. XII

*Loci illustrantes personales, quinam? et quales?*

Iam primo illud videamus, quibus modis ipse Sp. S. in scripturis diuinis personas cum personis conferre soleat, vt propterea existant loci quidam illustrantes *personales* a nobis dicti. Fit autem hoc tribus potissimum modis. Aut enim persona, cum qua alia confertur talis est, vt, in quibus similitudo quaeritur, multo tenuiora in ea esse reperiantur. Hos etiam *typos personales* appellare mos est. Atque ex eo genere omnes illi sunt, in quibus claris hominibus Veteris Testamenti is honor habetur, vt in euentu quodam singulari personam futuri Messiae referant, quemadmodum *Mosè*, *Daudi*, *Salomoni* et paucis aliis. In iisdem praeterea illos numerandos esse puteam, in quibus ratione diuinorum beneficiorum Christiani veteribus Israëlitis comparantur. Aut porro personae, cum qua alia comparatis, longe excellenter ratione tertium comparationis conuenit: quae ratio in illis praecipue locis animaduertitur, in quibus verae fidei confessorum similitudo quaedam cum Christo perhibetur.

Aut

Aut denique ita instituitur comparatio, ut, quae vni personae propria sint, ea in altera plane contraria esse ostendatur. Quo pertinent loci illi, in quibus Christus, Adamo, primo homini, tanquam secundus, opponitur, aut, qui N. T. temporibus viuunt, illis, qui seculis Veteris Test. vixisse, et sic porro. In his omnibus vero requiritur non hoc solum, ut persona, cuius causa comparatio fit, vere existat, sed ut credatur etiam existere, sitque oratione aperta illud iam ante probatum, (cf. §. III) Nam vtrumque in omni comparatione ponitur, atque in ea non tam quaeritur hoc, ut persona seu res comparata existere putetur, sed, ut hoc iam concessum, quomodo existat, hoc apertius fiat. Rursus comparatio quaevis id sibi propositum habet, ut personae seu res comparando fiant notiores atque aptiores, quae sensu interno percipiantur. Vnde cogitur, eas iam notas esse debere, & tanquam certas ab omnibus credi. Atqui vero nos auderemus, hoc absurdum affingere sapientissimo spiritui, ut existimetur, res illustrare voluisse, quae non aliunde cognitæ essent, aut similitudine certas efficere, quae argumentis non iam antea euictæ essent? Sed quis hoc audeat? Itaque, ut hoc vtar, Moses, in quo typus, creditur, fuisse futuri Messiae, si pro tali habendum erat ab hominibus sui temporis, necesse omnino erat, ut claris verbis antea edociti essent, simile quid in futuro Messia extitulum esse. Eratque adeo illis eiusmodi locus illustrans euentum illum, quem iam argumentis certis cognitum haberent. Itaque, ut et hoc addam, non tam ex istis typis fides veterum in futurum Messiam probari debet, ut solent multi, quam argumento sunt iidem, ex quo constet, eam non deesse potuisse iidem. Sed nescio, quomodo mihi ipsi nondum haec disputando satisfecerim, ut adeo suspicio sit, neque aliis haec satis ad intelligendum fore. En! itaque accuratius rem persequemur.

D

§. XIII

## §. XIII

*Vnde iudicium fieri debeat, locos illustrantes primi modi  
in primis esse de sententia Sp. S. tales?*

**E**sse vero debet in omni hac disputatione de locis praecipientibus primi modi (nam in reliquis duobus per se patet illustrationem in iis fieri) praecipuum hoc, ut quaeratur, unde pateat, eiusmodi locum de sententia Sp. S. illustrantem esse. Etenim hoc, nisi ante omnia constituatur, semper latentes quereret humanum ingenium in sententia Sp. S. ut suum scilicet nobis probet. Atque est etiam tale iudicium non adeo difficile, et si labendi in eo occasio facilis sit ei, qui ad signa ab ipso diuino spiritu his locis impressa, non recte animaduerterit. Nam illud quidem per se patet, rem totam ab ipso testimonio Sp. S. pendere. Hoc vero aut expressum habetur in Nuevo Testamento, aut latet in iis, quae diximus, signis, personae Vet. Testamenti futuri Messiae typum gerentis, impressis. Prius per se clarum est. Sed in posteriori aestimando subtilioris iudicij res est. Ponamus itaque regulam aliquam, ad quam hoc iudicium dirigi possit et debeat. Quemadmodum itaque in praedictionibus de Messia futuro hoc praecipitur, ut loci omnes in iis habeantur, in quibus de persona affirmetur aliquid, quod in merum hominem non cadat, ita in his quoque locis illustrantibus personalibus iudicandis, an sint tales ex sententia Sp. S. eadem fere lex tenenda erit. Ut adeo dubitandum non sit, homine aliquo, ad illustrandam futuri Messiae personam, Spiritum sanctum vsum esse, si in eo proprietates plures simul reperiantur, quae, vti per se eximiae, ita ei etiam cum nullo alio homine communes sint; verbo: si eiusmodi persona plane reliquos omnes, omnium aetatum homines, in aliqua re aut pluribus simul supereret. Sic, ut hoc vtar, Salomo

lomo erit typus I. C. de sententia Sp. S. in imperii sui ratione vniuersa. Nam nemo vñquam extitit, merus homo, in quo ita coniuncta reperiantur tot et tam egregia animi corporisque bona, vti erat in eo non solum sapientia longe excellens eam, quae vulgo in homines cadit, verum etiam amplissimae diuitiae et pacis perpetuae usus plane singularis. Ita etiam populus Israël dubitandum non est, quin a Sp. S. delectus fuerit in fortuna sua secunda vniuersitate sumita, ad felicitatem populi christianorum adumbrandam. Adeo singularis illa erat. Atque hinc etiam fit, vt saepius fata Israëlitarum, Prophetarum, vt ita dicam, arripiant, ad christianorum rationem futuram probandam. Sed hoc totum non eo valet, vt nobis licet, hanc similitudinem in alicuius hominis vniuersa imagine expressam, ad singulas statim eius partes transferre.

## §. XIV

*Quibusnam illustrantes sint?*

Sed ostendendum etiam nunc est, quibus maxime eiusmodi loci illustrantes esse debeant, aut quorum causa praecipue eos adhibuerit diuina sapientia. In quo facilis erit responso, si cogitemus, quod paulo ante (§. XII) a nobis indicatum est, omnem comparationem fieri aut in re obscura, vt clarius fiat, aut in re a sensibus remota, vt quasi ante oculos ponatur. Vnde cogitur primum, vt omnes typi personales I. C. in Vet. T. deprehendendi, destinati fuerint praecipue in usum hominum illius aetatis. Nam omnia illa, quae de seruatore humani generis, ex revelatione diuina cognouerant, tamen non tam aperte secebant, vti nos nunc quidem, crantque praeterea, quod ad illos attinet, a sensibus longe remotiora tanquam futura, quam nunc sunt, cum vti

D 2

res

res gestae nobis narrantur. Inde vero etiam porro sequitur, vt typi personales populi christianorum in populo Israelitico propositi hactenus ad nos maxime pertineant, quatenus certum est, Spiritum S. voluisse sata illorum adhuc futura in hoc significare. Videndum itaque hic ante omnia erit, an in N. T. euentus aliquis, cuius similitudinem quaerimus, in eventibus populi illius, clare praedictus sit. Eiusmodi enim aliquid nisi factum reperiatur, absurdum foret, exemplum in V. T. quaerere velle, eius rei, quae in N. T. futura non praedicetur, vt tandem probabili opinione efficere possis, illud in N. T. aliquo in loco praedictum legi. Est itaque valde mirum, adeo multos hodie existere, qui usum Vet. Test. talem praeceptis atque etiam exemplo suo aliis commendent. Tandem ex eodem comparationis consilio efficitur, vt secundi et tertii modi loci illustrantes personales, in N. T. reperiundi, iis in primis propositi sint, qui iam indolem eius rei, per quam comparatio fiat, ex locis probantibus certo cognoverint. Itaque v. c. loco illo Paulino ad Rom. VI. male veteris, ad indolem vitae christiani hominis illustrandam, apud eum, cui nondum probatum sit, Christum mortuum esse vere, eundemque vere resurrexisse. Nam hoc, quamuis ex hoc loco effici posset, tamen non Sp. S. confilium erat, in eo probare. (cf. §§. II. VI. VII. IX.) Itaque res ante ex aliis locis probanda. Enim vero admonet hic locus, vt nunc etiam dicamus, quomodo hi loci probantes fiant.

### §. XV

*Necessitas disputationis, ex qua pateat, hos locos etiam vere probantes esse posse*

**R**estat, vt nunc paucis quoque praecipiamus, quomodo loci hi illustrantes primi generis probantes fiant. Cum enim nobis propositum sit, Topica scribere, in quibus tradatur

datur disciplina locorum illorum scripturae, ex quibus argumenta firma duci debeant, in eorum numero locos quoque de sententia Sp. sancti illustrantes, habendos esse, et quomodo habendi sint, necesse erit, ut disputatione quadam efficiamus. Atque hic non illud dicemus, quod forte alii dixerint, hos locos in probantibus recte poni propterea, quoniam si sapientissimus Spiritus aliquam rem illustret, plane non amplius dubitari possit, quin ea vere existat, adeoque omnino ex tali explanatione firmum argumentum pro ea re duci. Nam semper hic nobis quaestio est, an locus aliquis de sententia Sp. sancti probans sit, et quo modo talis existat. Itaque argumento, quod diximus, qui vti vellent, evicturi quidem essent, probare eiusmodi locum. Nam quis hoc adeo neget? Sed, ut certum sit eundem *de consilio Sp. S.* probare, ex aliis rationibus vincendum est. Eas itaque nos dabimus. Sed quoniam omnium non eadem est ratio, adeoque etiam non eadem probandi vis, haec qualis in singulis ab ipso Sp. S. posita sit, sigillatim docebimus.

## §. XVI

*Loci illustrantes personales primi modi, quomodo  
vere probantes fiant*

**Q**uod itaque ad *primi modi* (§. XII.) locos illustrantes personales attinet, accurate tenendum, hos ex solo usu Sp. S. in N. T. probantes ex eiusdem consilio fieri nobis in ea re, in qua V. T. hominibus solum illustrantes erant. Atque hoc, quomodo intelligi velimus, exemplo uno alteroque efficiemus, ut amplius obscurum non sit. Summus sacerdos V. T. typus erat sacerdotis vnici N. T. D. N. I. C. Hoc certum est nobis. Nunc ea omnia, quae ille pro expiando populo Israelitico peragebat, totidem loci illustrantes erant de sententia Sp. sancti, ex quibus populus ille futuri sacerdo-

tis vnicē veri notionem animo suo imprimeret. Sed iidem loci nunc nobis probantes fiunt, de consilio eiusdem divini spiritus, postquam per Apostolum *Paulum* aperta inter vtrumque comparatio facta est in epistola ad Hebraeos. Ut adeo ex introitu v. g. sacerdotis summi V. T. in sanctum recte probare possimus ascensionem Christi in coelum, cum eo loco illustrante, ad probandam hanc usus sit Apostolus ad *Ebr. IX. 24.* Sic quies Israelitarum in terra Canaan ex consilio Sp. sancti veteris ecclesiae membris locus illustrans erat nostrae in coelo quietis. Atqui vero idem nunc nobis vere probans sit, cum clara utriusque huius quietis comparatio reperiatur apud eundem Apostolum Epist. laudatae capite *quarto.* Habet vero haec observatio eam vim, ut non solum recte iudicare discamus de his locis, sed ut caveamus etiam nobis ab eorum libidine, qui in omnibus eiusmodi locis illustrantibus argumenta firma quaerant, si vel maxime in N. T. nihil reperiatur, unde constet, eos nobis probantes esse debere.

### §. XVII

*Quomodo Loci illustrantes personales secundi modi atque tertii vere probantes fiant?*

**S**ed plane diversa ratione argumentum certum effici vide-  
mus ex iis locis, qui secundi et tertii modi illustrantes  
personales sunt (§. XI.) Nam in his, cum de omnibus christiana doctrinae studiolis affirmatur, quod proprio sensu intellectum solum de Christo aut Deo trinuno dici possit, vel  
alteri alteri opponatur; cumque in utroque horum a re iam  
cognita ducatur comparatio, inde sit, si hi tales de consilio  
Sp. sancti probantes existant, hanc probandi quoque vim  
aliam existere. Haec itaque non in persona, cui alia com-  
paratur, seu opponitur, sed in ea, cuius causa omnis haec  
compara-

comparatio aut oppositio sit, quaerenda est. Nam illa tanquam certa et iam satis cognita ab ipso diuino spiritu ponitur, adhibeturque ad illustrandum id, quod minus certum atque probatum est, quo ipso efficitur, ut probatum fiat. Itaque, ut etiam in hoc genere loco Paulino ante citato ad Rom. VI. vtar, inest in comparatione, vitae melioris Christianorum cum resurrectione Christi facta, diuinum argumentum, ex quo probari possit illius ipsius vitae necessitas. Sed valde erraret, qui existimare vellet, eodem loco nos vti posse, ad accuratam demonstrationem resurrectionis I. C. efficiendam. Eset enim hoc contra consilium Sp. sancti, qui iam satis certo eam in aliis locis euinci curasset. Ita porro, quando seruator perfectae virtutis Christianorum imaginem in perfectionibus divinis proponit (*Matth. V. 48.*) qui locus valde illustrans est, idem fit probans, quod ad necessitatem atque modum prioris attinet. Sed posteriores ex aliis locis probandae, hic de sententia Sp. sancti pro certis sumuntur. Atque plane sic se res habet in locis probantibus illustrantibus tertii modi, in quibus, v. g. habetur ille ad Rom. V. 18. 19. Nam quae hic de primi hominis peccato ad omnes pertinente dicuntur, ponuntur de confilio Sp. sancti, ut mox dicenda clariora reddant, tanquam, quae per se iam maxime certa et aliunde probata sint. Itaque huius etiam doctrinae vera argumenta ex aliis locis petenda sunt. Sed idem locus, in quo expiationis I. C. omnium causa factae, affirmationem continet, in eo vere probans est.

## §. XVIII

## §. XVIII

*Loci illustrantes de sententia Sp. Sancti reales  
quinam? et quales?*

**S**uperatis difficultibus loci antecedentis nunc deinceps disputationem ad eum locorum illustrantium ordinem transferemus, quem secundum fecimus (§. XI.) et in quo qui reperiantur eos *reales* appellavimus. Quando vero in his res cum rebus comparantur, hoc iterum duobus potissimum modis fieri animadvertisimus. Aut enim in iis iam ineſt ex proposito diuino quidam illustrandi modus, ut in *rebus sacris* Israelitarum et corundem *rebus gestis*, aut ducitur solum inde comparatio, ut ex *vita communi* huius populi et *rebus naturalibus*, in vniuersum. Illas priores etiam *typos reales* (cf. §. XII.) et cum Apostolo *omnibus umbras* rerum futurarum appellare solemus. Has posteriores vno nomine *Parabolarum* comprehendimus. In his amplius non ambiguum esse potest, an illustratio ex consilio Sp. sancti facta sit. Clara est res. Sed in illis iudicio opus est, ipsa Sapientia diuina temperato. Quod quale esse debeat, nunc etiam paucis dicemus.

## §. XIX

*Vnde iudicari possit, typos reales esse vere tales?*

**I**am vero hic quoque certa quaedam lex ponenda erit, ad quam totum hoc iudicium fieri debeat. Dici enim non potest, quam multi semper extiterint et adhuc extent, qui in his explicandis, sublata omni historica veritate, omnia in typos vertant. Quo nomine recte a multis reprehenditur *Philo*, et veteris ecclesiae doctores quidam inprinis clari. Itaque quod ad illas praecipue allusiones attinet, quae insunt in *rebus et ceremoniis sacris* Israelitarum, quo rectum de iis iudicium

iudicium nitatur, ponamus hoc, vt si in his quaedam reperiuntur, quae tanquam pars aliqua ad totum quoddam perficiendum necessario adesse debebant, hae partes, nisi apertum Sp. S. testimonium adsit, non habendae sunt pro typis rerum futurarum atque coelestium: si vero eiusmodi sint, vt potuisse abesse, toto vel tunc manente, inde conclusio fieri possit, iis significationem rei cuiusdam coelestis inesse. Nam et si in omnibus illis ceremoniis arbitrium diuinum agnoscendum esse, euidenter probatum dedit S. V. E R N E S T I, praefidium studiorum atque fortunae nostrae firmissimum, tamen parti cuidam semel arbitrarie constitutae, quae inest significatio, nunc necessario inesse putanda est. Ut adeo non quidem dicere possimus, Deum necessario quodam modo hoc et non aliud ad significandam rem futuram elegisse, sed verum sit tamen, postquam illud elegit semel, ex eius voluntate ei aliquem sublimiorem sensum inesse debere. Quae si vera esse iudicentur, intelligitur sane nihil esse, quod magis diuina sapientia indignum sit, atque magis cum accurato huius rei iudicio pugnet, quam id, quod a tam multis factum est, qui e. c. in singulis, quae ad strucuturam tabernaculi tanquam partes totius necessario pertinebant, vt in ordine partium et numero, in longitudine et latitudine earum, res futuras ecclesiae N. T. adumbratas, quaesiverunt, et, quod vix crederis, invenerunt. Nam quis non videt, sine his rebus nullum aedificium adeoque nec tabernaculum cogitari posse. Sed haec eadem lex manifestum quoque reddit, in plurimis sacrificiis altius quid quaerendum esse, si vel maxime hoc ex aperto Sp. S. testimonio non constaret. In utrisque porro illis, qui reperiuntur, in *rebus gestis* Israel. locis illustrantibus hanc legem sequendam putem, tanquam minime fallentem, vt non ea statim, quae illis culpa eorum acciderint, aut ex peculiari arbitrarioque Dei consilio evenerint,

E

multoque

multoque minus ea, quae illis cum omnibus reliquis hominibus communia fuerint, pro locis vere illustrantibus evenitum N. T. habeamus, sed ea solum, quibus hic populus id consequebatur, vt proprie a Deo electus dici posset, quibusque singulis totidem signa singularis diuinae tutelae impressa erant. Etenim cum certum sit, populum illum, in quo peculiarter a Deo electus erat, in eo vniuerso sumto fuisse typum Eccl. N. T. fatendum quoque est, ea omnia, quibus Deus illi ita prouidebat, vt ab omnibus iudicaretur esse Deo in primis carus, habuisse significationem eorum, quae aliquando eventura essent huic. Itaque iter molestum et periculosum populi illius per loca deserta, et si possit pie accommodari ad vitae huius molestias, tamen non crediderin de Sp. S. sententia ad has illustrandas pertinere, aut, vt adeo quibusdam placuit, harum significandarum causa totum suscipiendum fuisse. Erant enim huius itineris difficultates illis aut communes cum aliis omnibus iter facientibus, aut propria eorum culpa ipsis evenerant. Sed plane mihi persuasum eset, si vel maxime careremus aperto ipsius seruatoris testimonio (Ioh. VI.) illum miraculosum panem verum typum habuisse nutritionis coelestis Christianorum fide comparandae. Nam erat omnino ille diuinus cibus beneficium tale, ex quo clare appareret, populum Israeliticum a Deo ita foueri ut nullus alius. Atque sic de typis realibus vtriusque generis reliquis omnibus, si quis hoc ytrumque, quod posuimus, teneat, iudicium facile erit, praecipue, cum in plurimis et fere omnibus quid lateat, in N. T. clare edoceatur.

§. XX

## §. XX

*Quibusnam loci illustrantes reales in uniuersum  
illustrantes sint?*

**S**ed nunc illud quoque paucis ostendendum erit, quibus potissimum tum typi reales, quorum indolem ostendimus, tum Parabolae, in quibus, quaenam de sententia Sp. S. tales sint, per se patet, quibus itaque, utriusque loci illustrantes esse debant. In qua quidem disputatione admodum breves erimus. Nam facile huc transferri possunt, quae de usu locorum antecedentium (§. XIV.) diximus. Ut itaque typi reales V. T. quemadmodum illi personales, illis maxime illustrantes esse debuerint, qui rem ipsam significatam adhuc futuram credent, deinde et nobis tales sint, qui quaedam eius adiuncta adhuc expectemus: parabolae vero illis tantum propositae existimentur, qui iam rei ipsius latentis in ea scientiam aliquam ex locis apertis hauserint, ut adeo haec cum adhuc sit paulo obscurior, per illas tantum clarior atque illustrior fiat, quam eum locorum illustrantium personalium secundi et tertii modi esse diximus.

## §. XXI

*Quomodo typi reales ex vere illustrantibus  
vere probantes sint?*

**S**i nunc porro quaeramus, quonam modo primum typi reales, praecipue ad illustrandum propositi, possint argumento firmo esse eius rei, quam significant, hoc que Sp. S. sic volente: rursus idem fere dicendum erit, quod iam de typis personalibus atque vi eorum approbante affirmauimus. Nam in his non minus res eo redit, ut videamus, an sit eiusmodi loci explicatio certa atque clara a diuino Spiritu in N. T. facta. Quod si ita esse reperiatur, typus, qui per se illustrans

strans solum antea erat, eius rei, quam significabat, probans quoque sit ex vsu scripturae N. T. Itaque idem vim vtramque, et certam et claram efficiendi scientiam, habet in nobis, sed posteriorem solum, quod ad illos attinet, quibus primum proponebatur. Atqui vero experiamur exemplo quodam, si efficere possimus ut omnes intelligent, recte haec a nobis praecipi. Sumamus vero idem illud, quod paulo ante *ex Ioh. VI.* laudauimus. Est in illo loco propositum Servatori euincere, se solam vitam Christianorum merito atque etiam familiaritate sua sustentare. Vnde clare affirmat (com. 54.) *Ἐγώ εἰμι ὁ ἀρτός ὁ ἐν τοῦ ἀγαρῷ καταβαῖς,* hisque addit ea, ex quibus intelligatur, quod ille panis e coelo in deserto delapsus, non fuerit *ζῶν*, h. e. *non perpetuam ad alendum vim babuerit*, sed, vt ita dicam, *temporariam tantum ad illustrandum coelestem panem N. T. ei inditam.* Hac itaque comparatione ab ipso Servatore facta, potest quis commode illo miraculo vti, tanquam eo, ex quo certissime pateat, Christum eum esse, qui alimenta vitae spiritualis ynicie illi sustentandae apta, nobis largiatur. Sed hoc satis sit ad intelligendum.

## §. XXII

*An Parabolae unquam fieri possint vere probantes  
et quomodo?*

**D** Parabolis vero videri posset non adeo necesse esse, vt amplius quaeramus, an sint in vere probantibus numerandae, cum ab aliis iam satis hic locus tractatus reperiatur. Ne tamen plane hanc disputationem neglexisse putemur, in hoc quidem loco (nam de eorum abvsu et vsu plura in reliquis duobus Curriculis dicemus) rem paucis nostro modo tradamus. Itaque in his semper tenendum est hoc, eas in se nullam aliam vim habere, quam vt doctrinam aliquam clariorem reddant. Etenim si voluisset Sp. S. vt firma argumenta

menta ex iis duceremus, quemadmodum in quibusdam ab eo fieri videmus, ita in omnibus factum esset, ut nimurum in extremo apertam totius explicationem haberemus. In quibus itaque hoc non sit, hoc ipsum silentium manifesto indicio est, eiusmodi parabolam vnicce illustrantem esse. Contra vero si fiat, recte vtemur iisdem tanquam vere probantibus eam rem, cuius forma atque indeoles imagine quadam adumbrata fuerat. Neque tamen hic quoque adeo repugnabimus, si quis dicere velit, haec explicatio expressa si adsit, vim probandi in ea potius sitam esse, quam in ipsa Parabola, atque hanc tunc quoque tantum illustrantem manere.

## §. XXIII

*Loci illustrantes de sententia Sp. S. verbales, quinam et quales?*

Veniamus nunc ad tertium ordinem locorum de consilio Sp. S. illustrantium, quem eorum esse diximus, (§. XI) in quibus *sententiae* cum *sententiis* comparentur, ut adeo tandem quidam, *verbales* a nobis dicti, reperiantur. Atque sunt hi nobis iidem, qui ab aliis *adaccommodationis* nomine intelliguntur. Sed vtemur potius illa appellatione, ne multos offendamus, quibus haec posterior malo quorundam studio ita inuisa facta est, ut quidam etiam rem totam plane negare ausi fuerint. Quod, vt cum illis audeamus, nunquam a nobis impetrabunt. Foret enim hoc contra sapientissimum Dei optimi consilium, cui ita placuit, vt quorundam locorum Vet. Test. sensu, in N. T. aliter vteretur, quam antea factum erat. Ex quo nascitur nobis definitio horum locorum haec, vt sint sententiae scripturae Noui Testamenti, quibus exornandis amplificandisque adhibeatur similis sententia librorum Veteris Testamenti. Est vero hic ante omnia caendum, ne quis existimet, fingendos propterea

E 3 esse

esse plures sensus scripturae in uno loco, aut plane *litterales* duos, aut unum *litteralem*, alterum *mysticum*. Nam illud prius, qui statuendum esse praeceperint, recte iam diu reprehensi sunt, tanquam, qui id, quod longe absurdissimum sit, in Deum sapientissimum conferant. Sed neque hoc posterius satis nobis quidem placet, et si plurimis probetur, sequimurque in eo negando libenter, ut debemus, doctrinam S. V. ERNESTI, qui in Institutione Interpretis N. T. p. 9. sensus allegoricos, in quorum numero sunt sensus mystici, *sensus proprii potius, ad aliquod caput doctrinae illustrandum, accommodationes esse*, docet. Atque haec plane nobis esse videtur ratio eorum locorum N. T. quos, certum est, in Scriptura Veteris alii rei probanda adhiberi. Nam in his sensus non mutatur, sed extenditur; non fit aliis, sed manet idem ad aliam solum rem translatus; neque ducitur inde aliud plane argumentum, sed quaeritur explanatio similis argumenti. Ut vero quam recte hoc a nobis dicatur, clarius pateat, vtemur loco illo clarissimo Hab. II, 4. Habemus hic verba, quae sensu litterali quibusdam de Iudeis captiuis intelligenda esse videantur. Admonere hos, aiunt, Prophetam, ut fidem habeant promissionibus diuinis constantem, quoniam tunc futurum sit, ut res eorum aduersae exitum felicem habeant. Hunc sensum et verbum נְאָמַנָּה, quod in hominibus positum, *constantiam* proprie significat, et alterum חִיָּה, quod ex usu Hebraeorum idem sit, ac *bene vivere*, scilicet *pristinae felicitati restitui*, et tandem totum verborum ordinem utrumque nexum evincere. Atque his non placent, qui, cum videant in doctrina de iustificatione fidei hunc locum bis ab Apostolo laudari (Rom. I. 17. et Gal. III. 11.) inde coniecturam faciant, eum sensu litterali de fide propria verae ecclesiae membris agere, atque de sententia Sp. S. eandem κατὰ τὸ ἐγνῶν [probare, illam

illam vero Israëlitarum constantiam *κατὰ τὴν διάνοιαν*. Neque iidem eos probant, qui contraria ratione dicant, *κατὰ τὸ ἐγγένετον* posteriorem probari, et priorem *κατὰ τὴν διάνοιαν*. Putant nimis horum utramque sententiam, ex tertio quodam loco Apostoli plane refelli posse. Quando enim idein denuo ad Hebr. X. 38. illam orationem laudat, et inde argumentum pro *constantia* in fide dicit, enī inquit, dicant nobis illi egregii locorum theologicorum artifices, quomodo nunc hanc constantiam in fide ille locus apud Prophetam, de consilio Sp. S. probet, an *κατὰ τὸ ἐγγένετον*? aut *κατὰ τὴν διάνοιαν*? Quicquid dixerint, semper habebimus unum locum, semel *κατὰ τὸ ἐγγένετον* et bis *κατὰ τὴν διάνοιαν* aut contra probantem, quo quidem nihil fingi potest, quod sit magis indoctum. Atqui vero hi si vel maxime vera narrent, non tamen bonae causae praefidium ex hoc ipso loco pertendunt deesse putem, si statuamus, esse hoc Prophetae verbum de consilio Sp. S. *κατὰ τὴν διάνοιαν* (secundum nostram explicationem §. VII.) probans, illam Iudeorum fidem promissionibus diuinis habitam, eoque bis usum esse Sp. S. tum ad illustrandam constantiam in fide vera atque uincere talis; tum ad explanandam necessitatem fiduciae in diuinis promissionibus positae: verbo: eum bis sensum proprium ad aliud quid transtulisse. Nam ex iis, quae mox dicemus, patet, utrumque ex his verbis, in N. T. laudatis, de consilio Sp. S. probari posse. Quod si quis nunc ex me adeo quaerat, unde iudicari possit, quinam loci, ex V. T. in N. laudati sint, de consilio Sp. S. in V. T. probantes doctrinae illius, cuius causa excitantur, et quinam porro de eiusdem sententia in illo aliud quid probent, quam sit illud, ad quod in N. transferuntur, ei ego paucis respondeam, totum hoc iudicium nisi praesidiis interpretationis verae, adeoque ei auctor sim, ut discat interpretari.

## §. XXIV



## §. XXIV

*Quomodo huiusmodi loci illustrantes vere probantes fiant?*

**R**estat, ut nunc de his quoque ostendamus, quomodo vere probantes fieri possint. Atque hic statim monendum est, hos plane ab reliquis antecedentibus diuersa ratione tales fieri. Nam in illis aut idem locus, qui in V. T. illustrans ex consilio diuino olim erat, in N. ex eodem probans fit; (§. XVI.) aut pars comparationis altera tantum probans fit, altera illustrans manet (§. XVII. XVIII.) aut tandem explicatio comparationis factae argumentum de sententia Sp. S. firmum praebet. (§. XXII.) Vnde fit, ut neque eodem in loco probantes et illustrantes simul sint, neque eadem ratione, quod vtrumque in iis repugnaret. Sed in his non repugnat dicere, *orationem eandem in loco eodem*, de consilio Sp. S. et illustrantem et probantem esse. Hoc quomodo fiat, paucis videamus. Omnis locus illustrans, in quo sententia quaedam ex V. T. ad aliam in Nouo transfertur, in illo esse reperitur *narrat̄ r̄m dīcōrōv̄* probans rem aliquam. Nam semper in eo interpretatione opus est (§§. VII. IX.) ex qua pateat, quodnam praecipuum argumentum eius sit. Si nunc hic talis in argumeto simili denuo ex ipsa diuina auctoritate adhibeat, ea probandi vis, quae ipso ineft, non perit, estque secundum eam semper is, qui tantum illustret. Sed idem, qui *narrat̄ r̄m dīcōrōv̄* illud prius probet, hoc posterius illustret, eodem tempore rem illustrandam *narrat̄ r̄m ἔξιν* probat. Etenim continetur plerumque in eiusmodi locis, ex quibus cum alia sententia comparatio fit, principium quoddam, sapientissimo consilio ab ipso Auctore scripturarum positum, tanquam tale, ex quo alio tempore aliud quid efficiendum esset. Itaque concedamus paulisper, locum Prophetae ante a nobis usurpatum,

tum, in quo in V. T. legitur, κατὰ τὴν διάνοιαν probare felicitatem Israëlitarum, ob fidem diuinis promissionibus praestitam. Sic tamen semper nobis quoque concedere co-  
gentur, eundem in quo in N. T. ad explanandam rationem  
fidei in Christum et constantis fiduciae utilitatem adhibetur,  
utramque κατὰ τὴν ἔξιν probare posse. Atque dabimus hoc  
in primis ex ultima Apostoli citatione probatum. Vtitur  
hic loco illo, tanquam in quo insint *tria principia*, ex qui-  
bus, nisi id, quod ad illustrandum sumferat, verum esset, se-  
culturum sit, ut neque illud Prophetae pronunciatum de  
Israëlitis, verum fuerit. Cum enim hic primum affirmet,  
pios Iudeos, qui constantem in Deo fiduciam posuerint,  
non perituros esse, quis non videt, hoc tanquam plane cer-  
tum ab eodem ponit, *fidem constantem Deo habitam, ei vince placere.* Hoc *primum principium* est, quod nunc assumit  
Apostolus, in epist. ad Ebraeos, tanquam ex quo κατὰ τὴν  
ἔξιν probet, fiduciam non moueri debere. Sed idem Pro-  
pheta porro affirmit, Deum certo Iudeis auxilium laturum  
esse, *כִּי בָא יְבָא לֹא וְאַחֲרָה res praedicta tempore semel decreto eveniet.* In quo nouum principium situm est, quod  
hoc sit, *Deum, quod semel promisit, non mutare.* Eo itaque  
porro vtitur Paulus ad eiusdem rei necessitatem efficien-  
dam. Dixerat tandem Prophetus, perituros esse eos, qui  
eam prophetiam contemnunt: in quo *nouum principium* hoc:  
*cum periculo salutis fidem promissionibus diuinis denegari*,  
vnde nouum argumento suo rebus addit Apostolus. Nunc  
vide, quam non solum accurate ex isto loco ad hanc rem  
comparatio ab Apostolo facta sit, sed certissima etiam, con-  
cludendo ex tribus principiis simul sumitis, demonstratio  
haec: *Si Decreta Dei omnia eveniunt certissima sunt, si que porro, qui iis fidem non habent, eis nulla salutis spes reliqua sit, contra vero constantem fiduciam in iis ponens, de felicitate*

te sua omnia sperare possit, sequitur inde, ut certam de salute vestra spem habeatis. Atque sic dici non potest, quam magnum usum haec observatio habeat, in expediendis duabus praeceptis difficultatibus, quae in consuetudine scriptorum Noui Test. locos eiusmodi veteris scripturae citandi, reperiuntur. Aut enim nimis deserere videntur contextum hebraicum, aut plane non apparet, ubi querendus sit in V. T. locus is, quem excitant. In qua utraque difficultate tollenda, nemo erit, quin videat non satis esse id, ut dicamus, voluisse N. T. scriptores sensum potius quam verba sequi. Nam si nunc per singulos eamus, cupiamusque doceri, quomodo hic sensum secuti sint non verba, aut ita respondent, ut credendum sit, duplarem unius loci sensum esse, aut plane verba non recitare possint, ex quibus tamen iudicandum erat, an vere sensum expresserint. Itaque experiamur, an non utraque difficultas ex his, quae diximus, faciliori modo solui possit. Quod itaque ad illam attinet, quae oritur ex citationibus contextui hebraico non plane respondentibus, de his ita praecepimus: *Solent scriptores N. T. abhaerere graecae versioni etiam in iis locis, in quibus vim atque sensum textus hebraici non plane expressit, si tantum id in versione remanserit, unde intelligatur principium illud, ex quo concludere volebant hanc vel illam rem ita esse.* Contrarium si sit, ab iis quoque contrarium fieri reperitur. Ita, verba יְהָוָה וְאֶחָד, non tam ad Deum, quam ad proxime antecedens יְהָוָה referenda sunt, ut sit sensus: *Praedictio certo implebitur tempore destinato.* Sed tamen Apostolus LXX. sequitur, qui verba tanquam ad Deum pertinentia interpretantur. Unde vero hoc? quoniam nimis, siue dicas, *Deus certo tempore decreto veniet, siue, res ab eo praedicta certo implebitur, principium tamen semper manet hoc: Deum, quae semel promiserit, ea non mutare.* Nunc vero idem Paulus mox eos deserit

deserit, cumque illi vertendo transtulerint ὁ δὲ δικαιος ἐν πίστεω μηδέποτε, hic habet ὁ δὲ δικαιος ἐν πίστεως οὐδέποτε. Atque hoc quare ab eo factum sit, facile ex eadem lege, a nobis posita, explicari potest. Nam dum illi dicunt *ex fide mea*, quasi Deus de constantia dictorum suorum loquere-  
retur, principium alterum, ex quo Paulus concludere vole-  
bat, plane immutant. Itaque ad textum proprius accedit,  
omisso tamen affixo tertiae personae, sine quo etiam princi-  
pium hoc intelligi poterat. Atque inde simul intelligitur,  
quomodo in variis lectionibus textus hebraici diiudicandis,  
citationibus locorum in N. T. vtendum fit. Sed addamus quo-  
que aliam legem, quac, altera illa difficultas quomodo tol-  
lenda sit, doceat. Ea haec est: *Solent scriptores N. T. ali-  
quando ex locis Veteris simil summis, principium quoddam ad  
illustrandam rem propositam deducere, atque ex eo, suis ver-  
bis proposito, hanc probare.* Itaque, quando ad Ebr. XIII.  
Apostolus commate quinto affirmat, Deum in V. T. dixisse:  
ἢ μή σε ἀνῶ, εἰδὼς μή σε ἐγνωταί πω, hoc principium est,  
quod ex sententiis similibus V. T. (Ios. I. 5. Deut. XXXI. 6.  
Par. XXVII. 20. et fortasse aliis pluribus) effecit, ut adeo ne-  
cessa non sit, anxie querere, quemnam potissimum ex lo-  
cis citatis in animo habuerit.

## §. XXV

*Confectarium ex tota superiori disputatione effectum*

**A**tque sic hoc primo nostro Curriculo, illum tandem lo-  
cum attigimus, quo primum tendebamus, atque con-  
secuti, opinor, id sumus, ut veram indolem scripturae lo-  
corum, ex quibus firma argumenta ducenda sint, cognitum  
atque perspectum habeamus. Antequam tamen hic, tan-  
quam in primo diuerticulo acquiescamus, age, faciamus,

F 2.

quod

quod facere solent ii, qui ex itinere quodam redeuntes, ex iis, quae noua, atque ante inaudita cognouerint, quaedam concludendo in suam utilitatem transferunt. Est enim, si sumiam eorum omnium quae diximus, ineamus, supremum aliquid, quod ex disputatione hac tota consequatur, et ex quo tota, recte intellecta, hoc utilior reddatur. Patet enim ex ea male praecepere, qui dicant, locos κατὰ τὸ ἐγγὺο probantes esse *classicos* sive *primi ordinis*, reliquos *secundi ordinis*, rursus illos esse *absolute*, hos *secundum quid* probantes. Nam, si nos audias, potest locus κατὰ τὸ διάνοιαν, et κατὰ τὸ ἔξι item maxime classicus esse, et si de uno dogmate cuiusvis ordinis unus occurrat, omnes simul pro talibus habendos esse, quamuis fieri possit, ut mox hic, mox ille ad hunc vel illum vincendum, ut sunt varia hominum ingenia, aptior sit. In quo etiam nemo erit, quin videat, grato animo diuinam sapientiam agnoscendam esse, quae locos plurimi ordinum probantes in scripturis proposuit, ut adeo hominum omnium usui aptae atque accommodatae essent.

## ERRATA OPERARVM

- p. 16. §. V. lin. 11. prima l. primo. lin. 15. Erant l. Erunt. lin. 19. alias l. alias.
- p. 24. §. XII. lin. 14. comparatis l. comparatur.
- p. 41. lin. 26. rebus l. robur.
- p. 41. lin. 19. et p. 42. lin. 25. ρωμαιοι l. ρωμαι.
- p. 43. §. XXV. lin. 4. 5. cognitum atque perspectum l. cognitam atque perspectam.







01A 6600


ULB Halle  
002 932 490

3



R





# TOPICE SCRIPTVRAE

EX  
AVCTORITATE VENERANDI THEOLOGORVM  
ORDINIS

## PRO LICENTIA

CONSEQUENDI

SVMMOS IN THEOLOGIA HONORES

PROPOSITA ET DEFENSA

A

M. GVILIELMO ABRAHAMO TELLERO

S. THEOL. BACCALAVREO

PROFESSORE THEOLOGIAE ORDINARIO IN ACADEMIA

IULIA CAROLINA ET DIOECESEOS HELMSTADIENSIS

SVPERINTENDENTE GENERALI DESIGNATO

LIPSIAE D. XXI. DEC. MDCCCLXI

EX OFFICINA BREITKOPFIA

